

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

IN NVPTIAS

VIRTVTE ET DO-
CTRINA ORNATISSI-

MI IUVENIS DN. CASPA-

RIS HANNELII, I. V. STVDI-

osi, viri Servestæ Senatorij Dn.

Blasij, F. Sponsi:

ET

HONESTISSIMÆ PVDI-

CISSIMÆQVE FEMINÆ,

MARIAE, GEORGII HORSTII,

civis Servestani quondam primarij reli-

ctæ viduæ Sponsæ:

Carmina scripta à sanguine jun-
ctis & amicis.



SERVESTÆ

Excudebat Iohannes Schleer,

Anno 1600,

E P I T H A L A M I V M
S C R I P T V M E R V D I T O
E T H O N E S T O I V V E N I, C A
S P A R I H A N N E L I O, S E R V E S T A N O,
L L. S t u d i o s o, & c. s u o e x b a p t i s m a t i s
s t i p u l a t i o n e c o n t e n u o.

Magna Deus curat, fortuna parva re-
linquit; (ait.)

Pleraq; casus agit: Sic Epicurus
Mens pia diversum statuit; quia cuncta su-
premi

Ad nutum existunt, stantq; caduntq; ducis.
Quae mare, quae tellus, quae clausus voluit Olym-

A summi pendet numine cuncta Dei. (pus,
Non casus, non fortuna ludibria caeca;

Christe, tui Patris, res fovet, alma manus.
Dextra Dei jungit socialia federa; ADAMI

Vivat ut, & vigeat, non sine lege, genus.
Innumeras inter, ratio vix firmior ulla est,

Esse Deum, atq; oculis cuncta patere Dei:
Vix la pudicitia quam quod servantur in orbes

Nec violare tori jura sacra licet.
Aut, violet si quis, minimè violanda, pudoris

Jura, quod intra cormox gravis ultor adest.
Nam

*Nā licet externā haud vindictā exerceat ullus
Viscera non cessat rodere vermis edax. (Et et
Qui negat ergo Deum, thalami connubia spe-
Qui thalamum spectat, jurat is esse Deum:
Hinc tibi cū sponsa benedictio certa petēda est:
Praesidio tibi sit dextera SPONSE Dei.
M. VVolfgangus Amlingus.*

Votum pro N. SSp.

Est pietas, dare, Christe, tuo debetur honori
Quod, jubet ut Patris foedus amicitiae:
Est pietas, dare, Christe, tuis deberur amicis
Quod, cen voce pios pagina sacra jubet.
Nominis ergo tui jam decantamus honores,
Solvendo ex pacto candida vota tibi.
Ipse novis Sponsis haec effice vota secunda,
Affectu his semper mens sit & una caro.
Complexu patrio tu complectaris utrunque,
Te sine quin optet neuter & esse super.

M. Casp. Vlz.

Psalm. CXXIX.

*Commendans omnibus hominibus, & inprimis conjugibus ti-
morem Dei, & manuum laborem, utrunque ad vitae beatitudi-
nem summopere necessarium:*

*Nuncupatus pro voto nuptiali Sponsis lectissi-
mis Casp. Hannelio I. V. Studioso, &
Mariae Horstiae relictæ viduae.*

Auctore

Gregorio Berfmano Annæberg.

A 2

O ter



Ter beatum, quem Domini timor
Recto gubernat tramite, nec sacra
A lege diversum salebris
Devius insinuavit error!
O te beatum, quisquis es! affatim,
Nam, sorte quamvis paupere sis, tui
Iovâ benigno te laboris
Fenus alet. Facilem ille abundè
Victum refundens, ut bene sit tibi,
Cornuq; pleno copia suppetat;
Rumore vortant ac secundo,
Efficiet tibi cuncta rerum.
Ceu vitis arctans palmite conjuge
Vlmos maritat; ceu viridi domum
Incingit amplexu stolonum:
Sic tua te sobolis feraci
Stipabit uxor germine liberum,
Mensam ambientum, termite uti suam,
Non mentiente spem coloni,
Arborem olivâ onerans coronat.
Hæc sunt timentis numinis à DEO
Promissa vitæ commoda, quæ manent,
Eventibus rerum invidendis,
Corde Deum ingenuo colentem.
Rector

Rektor Sionis, celicolum parens,
Lauto bonorum te cumulo obruet,
Tuaq; causa civitati,
Quam colis, esse probe iubebit.
Florente pacis quo Solyma bonis,
Atque Israelis incolumi statu,
Natosq;, natorumq; cernas
Progeniem pariter beatam.



cedera cum iubeas, affinis Candide.
Lecti:

Optatosque tibi fata tulere toros,
Nescio quæ tibi dona feram, quo munere tandē
Exornem tædas, optime Sponse, tuas.
Non mihi opes Cræsi, rutili non dona metalli,
Interea hæc animi suscipe signa mei.
Namque novis Sponsis felicia gratulor astra,
Gratulor & socio, pignora pulchra, toro.
Vestra liget stabili suavis concordia nexu
Pectora, sit vobis perpetuusque favor.
Vivite Mathusalæ Christo felici er annos,
Nec vestros turbent tristia fata lares.

Ioannes Kifuvetter.

A 3

Dicebam

Dicebam vinc̄tas te quondam Sponse pudicæ
Manus daturum amiculæ,
Victum fidereæ divinâ Cypridos arte,
Amoris & potentiâ.
Ast hæc ipsa soles constanti mentē negare
Et dejerare strenuè,
Et jaçtare simul scutum, sclopposque paratos,
Quibus Diones callidæ
Astutas technas, pharetrati & spicula Amoris
Posses probè repellere:
Nec tantum his armis gaudebas, hisque placebas
Tibi, juvabant celibum
Tot te exempla Deûm, non nuptarumque Dearum,
Primò sororum ter trium,
In quarum castris versatus labra rigasti
Fontis salubri neçtare,
Natae deinde Iovis clypeo, frameaque tremendae,
Nec non Diana celibis.
Dicebam: en factum est! ardes urente medullas
Flammâ, Sibyllâ verior
Sponse tibi vates ero, fatidicisque columbis
Nec augur imperitior.
I nunc, atque viam longinquas carpe per oras,
Excultus olim moribus
Ut redeas, animoque gravis, virtuteque clarus,
Et lude Amoris spicula.
Quò fugis? ah frustra properas ignota videre
Arva, & viros celeberrimos.
Nulla fuga est Veneris, nec præpetis ulla sagittæ,
Secum Cupido quam gerit,
Non si Gallorum subeas nunc oppida, non si
Vrbem petas Antenoris:

Quò

Quo te cunq; velis terrarum sistere, siste,
Amor sequetur illic.
Nil prodest Sacras tibi nunc addiscere leges,
Nodosque juris solvere,
Spernit Amor leges, nec juris scit labyrinthos,
Non Balde libris est tuis
Gratia, nec reliquis quos scripsit Bartolus, apto
Vel Vlpianus ordine,
Ast ubi nunc clypeus, cur non lætaris in armis?
Vbi manent nunc fortia
Tela & quibus poteras olim propellere technas
Veneris, sagittas & Dei
Aligeri, quid prisca juvant exempla Dearum?
Disparuerunt omnia.
Iam victus victusque jaces victore Deorum
A præpotente Cupidine,
Et puer ille, Iovem qui se murare coëgit
In Cygnum & undam, te dolo
Cepit: nam Mariæ pulcris insedit ocellis,
Petivit unde concito
Præceps progressu tua lumina, perque meatus
Irepsit in cor faucium,
Hoc face succendit: quid profunt tela foris? si
Dolo geratur intimis
Visceribus bellum, pectus crucietur & ignis
Vrente flammâ fervidi.
Sed tibi, Sponse, magis prodest quod victus Amore es,
Cupidinem quam viceris,
Res benè habet: te namque suo quæ lumine cepit
Petita casses incidit
Præda tuos, imoque fovet sub pectore flammam,
Alitque tanta vulnera,
Quanta

Quanta tibi primò fecit : nunc plaudite mecum
Omnes Camænæ & Gratiaë,
Ac orate Iovem dulci modulamine, vota
Horum ut secundet conjugum,
Ut capiant fructus concessâ ex lite perennes,
Dulcissimos ex coniugis
Ore favos primùm Sponsus, post pignora lecti,
Tum mille gaudia & polum,

Gregorius Gutjahr.



Vi cestum, & flores, cui fers, Ericyna, co-
rollas? (hors?
Dona paras Charitum cui generosa co-
Mentior? an Sponsis fers munera grata no-
vellis?
An dare vis docto præmia digna viro?
Sic est: Casparo divino contigit uxor
Numine digna viro, digna marita pio.
Ergò huc molliculo blandas quæ ludis amantum
Delicias versu, docta Thalia veni,
Atque precare novis felicia numina Sponsis
Voce canens: Hymen ò Hymenæe fave.
Sit felix Sponsus: sit felix atque marita,
Hic arte excellens, illa pudoris amans.
Ambo sint fausti, simul ac sit uterque beatus
Et splendor Themidos, virgineumque decus.
Nascatur referens puer amplum stemma parentis
Et matris referens pulcra puella genus,
Musarum cultor puer, haud segnisque Sacerdos,
Cecropiæ cultrix casta puella Deæ.

Hæc

Hæc & plura novo gratare Thalia, marito
Quem totus Phœbi laudat, amatque chorus.

Hæc & plura novæ gratare Polhymnia Sponsæ,
Quam præfert nuptis omnibus alma Venus.

Votis pondus inest: en ut Saturnia Iuno
Annuit his tedis, & genialis Hymen.

Vt jungunt arcto vites sua brachia nexu,
Sic ambos stricto foedere necit Amor.

Eod. Autore.

Prisca valent, mihi prisca placent, hinc secula prisca
Laudo, quæ potius tedas sermone recentes
Condibant blando, vel acuto ænigmate mentes
Mulcebant, quam, nostra probant quod secula, plu-
Non sorbillando sed amystide vincere mallent, (res
Testis erit, si teste velis tibi forte probari,

Manoides, Delilâ qui cum connubia jungens
Solvendum sociis dat tale ænigma: Quid illud:
Præbet edax victum, dulcedine fortis abundat?

Testis & Aeneas, mensæ invitatus Elisæ
Insidias Danaûm, tulerit quantosque labores
Omnibus intentis mirâ dulcedine pandens
Passibus haud æquis horum vestigia calcans

En Caspare tibi Peligni defero Sponse
Vatis Tela duo, quæ sæva Cupidinis lira
Elisit diversi operis, cum constitit arce
Parnassi umbrosâ, Phœboque adjungere Daphnen

Impiger instituit, verum tentamine vano.
Auratum est aliud, quod cuspide fulget acuta:

*Obtusum est aliud, quod habet sub arundine
plumbum. (morem.*

Quorum hoc extinguit flammâs, facit illud A-

B

Da

Da nobis sensum, quæso, doctissime Sponse:
Nescio vera mihi num sit sententia nata
Sub manibus, cadat aut surgat te iudice, posco.
Spicula quos feriunt auro radiantia, bellis
Inque animo, inque oculis hærent de nocte puellis
Deque die, ut placidam membris concedere fessis
Somnum cura neget; mens cæco carpitur igni,
Plumbea quosque premunt, non figunt spicula, sunt hi,
Pertusis calathis quos demisere puellæ
Sæpius, & lacrymas oculis crebro exterebrarunt.
Gaudia sic mœstis, sic lætis tristitia semper
Mista, Cupido suas sic & levat arte dolosas
Fraudes, & circum se spicula plurima spargit,
Vnde favor, mistusque dolor nascuntur: alumnis
Nec montis Clarij parcit, nec Saida curat
Tantillum, fax hæc nusquam cohibetur ab undis
Pegaseis, adeo jam vivida robora sumfit.
Has ergo dum Sponse paras eludere technas,
Missile te petit auratum, quod nulla potestas
Dat vitare tibi, Fatum Connubia firmat.
Nec plumbum figit MARIAM, quæ nomen Amantis
Aversetur, amore pari sed deperit, atque
Te fovet amplexu tenero, niveisque lacertis.
Ter nimis & nimium felix, ex asse beatus,
Cuius in thalamum tam foemina pulcra, pudica,
Tam proba, tam præclara bonis, & origine honesta,
Moribus apta piis, dextris & amoribus apta.
Hanc tibi demeruit Themidos favor unicus unus,
In cuius castris vigilas noctuque diuque:
Quæ posthac Cypridi concessit tempora noctis,
Tantus Amor menti sedet & Concordia Divum.
Quam vestris precor & voveo cœptis hymenæis.
Vinciat unanimes Dilectio mutua mentes,
Vnum quò teneant animum præcordia bina:
Et sit utriusque fides eadem, sit & una voluntas,
Coniugii legem sartam teclamque tueri.

Sigemundus Faustus Dresd.



Vper ut æthereis dimissus somnus ab astris
Tandem consuetum fessus inibat iter;
Corripio è stratis corpus, quod magnus Apollo,
Quodque Heliconiadum sacra caterva vocat,
Purpureo interea surgens Aurora cubili,
Mulam rorantes excutit arte comas.
Donec sustentans humeris Phaethontia frena
Elatis lucem naribus efflet equus,
Lucem, qua nobis redeunt opera atque labores,
Rustica quâ validus taurus aratra subit,
Miror ego hanc cœli faciem, si sunt modò digna
Quæ mirer, ni sunt illa dolenda magis:
Quòd Sol, quòd cœli quotquot cernuntur in arce,
Sydera, pro solo condita sint homine:
Illa tamen nullo violentur temporis usu,
Riteque fungantur munere quæque suo.
Cum miserum interea semen muliebri labascet,
Et nimium imprudens peius in omne ruat.
Omnia quis referat, qua tandem parte (dolendum!)
Est amor? à nostris finibus omnis abest.
Dic, thalamo quoties sacrato iniuria fiat?
Et caleat vetito mollis amore torus?
Causa rei mihi nulla patet; latet abditus omnis
Huius tam magni fons & origo mali.
Vnguiculum rodo, mentem in contraria verto,
Scalpo caput digitis, nil tamen ista juvant.
Cum mihi sic fatur Phœbus: quin quærere cessas
Causam? quæ refero mente reposta tene.
Nuper ut Idaliæ pandit Puer Ignifer alas,
Per summi cœli nubila densa volat.
Inquirens matrem, viridi quæ fortè sedebat
Horto, quem Sículus fecerat ille Faber.
Hanc ubi conspiceret, pertentant gaudia mentem,
Ingenti pectus lætitiæque fremit.

In gremium matris sese dimittit, & inde
Figit Cynnameis oscula grata genis.
Sic fatus: Cytherea potens, mea sola voluptas
Accipe, quod cupiant vota precesque meæ.
Hannelio nosti Iuvenem de sanguine cretum,
Qui solum Phœbum Pieridesque colit.
Me ridet, Pharetramque meam, mea telaque spernit,
Inque genus nostrum crimina dira jactat.
Hunc ego, fac, doceam, qui vir sit, qualia jactet,
Præbeat ut nostro colla premenda iugo.
At genitrix contra jamdudum gnara futuri,
Dum Nato metuit, talia verba refert.
Nate meæ vires, dulcissime nate Cupido,
Desistas captis, me monitore, precor.
Nunquam tu vinces Iuvenem, bibit ille liquores
Pegasei fontis, nil tuus ignis ager.
Quid? Natus contra: nil hoc nos optima mater
Dum nostra aspicio clara trophæa, movet.
En Morinus ponit miles per nostra rigorem
Spicula, dat castris seque Erycina tuis.
Armaque deponunt Cicones ad Gypridis ignes
Atque calent gelidi per mea tela Scythæ.
Nempe Iovi extorsit nostrum quoque Fulmina robur,
Hinc magnum Phœbum nulla sagitta manet.
Ecce caret Galea nunc Mars: ubi Clava reposta
Alcidae & atque Faces alma Diana tuæ?
Thyrus abest Baccho, defunt Talaria Majæ.
Nato, fluctisonans ipse Tridens Pelago.
At mater contra: dulcissime nate Cupido
Vincas, vincaris; non ero causa tibi.
Expertus metuit validas turbare Camœnas,
Si credis matri, serò nimis sapiens.
Alas distendit Puer, & se librat in auras,
Fumantes Sorabûm cernat ut urbe focos.
Hic se dimittit, celerique subintrat in nubem
Gressu, Caspari tecta superba petens.

Cultis

Cultis invigilat libris Casparus, & illum
Stat circum niveo turba novena pede.
Inceptum molitur opus, levibusque sagittis
Hannelij tandem lædere corda studet.
Sic fatus: mea lux, ignes ne spernito nostros,
Atque salutiferi jura subito tori.
Te moveat teneræ rarissima forma Mariæ,
Te moveat niveo callus in ore rubor.
Lumina demittit Iuvenis, nec talia curat,
Sed pergit Musas sollicitare suas.
Quid faceret Puer ille miser? de sistere cepto
Tum sibi, tum matri dedecus esse putat.
Flammea curvato rursus depromit ab arcu
Spicula, vibrati fulminis æta modo.
Alloquioque levat Iuvenem; si dulcia te non
Basia, si te non membra decora juvant:
Pectora, fac, placeant sincera & candida verè,
Caspare, ingenuus, fac, animus placeat.
Nec movet hoc Iuvenem? manet imperterritus, atque
Quæso, ait, à nostris cedito Amor laribus.
Unica restabat de tot tantisque sagittis,
Quæ si non vincit, vincimur inquit Amor.
Hæc volat adducto resonanti concita nervo,
Hæc volat, & Iuvenis pectora transfadigit.
Cui sic Arcitenens fatur: cur quæso moraris,
Haud puto de ferri semine natus eris.
Nil te forma juvat, nil candida pectora possunt,
Nil valet inque genis abditus ille rubor.
Dic, quæso moveat, quid corda Adamantina tandem?
Hoc nisi te durum fortè movere valet.
Nempe Genus Famamque tuam clarescere fas est,
Nunc via, nunc aditus, tu modo crede, patet.
Dixerat illa Puer, Musæ arrisere lubentes,
Et nutu thalami jura subire jubent.
Omnia quæ Iuvenis tacita dum mente volutant
Addubitat, quæ sint aggredienda sibi.

Insanus

Infanus credit se parte Phaeত্রiger omni
Nil posse, accedens Hannelium propius,
Tela suæ phaeত্রæ rursus inclusurus; at ille
Heu nimium præceps in sua damna ruit!
Nam subito luvenis flagranti exardet amore,
Ardet, & hinc rutili fulminis instar adest.
Non sic ipse Gigas fervet sub monte Sicano,
Ferventi flammæ horridus ore vomens.
Corripit hinc alas Pueri ardentissimus ignis,
Alis & Telis aufugit orbis Amor.
Quid faceret pennis orbis, levibusque sagittis
Queis vero incendat pectora amore, caret?
Aggreditur nova coepta Puer, falsoque fatigat
Aestu mortales, illicitisque jocis.
Hinc, quod nullus amat sincero pectore, fecit
Hannelius, vero solus amore flagrans.

Georgius Salmuth f.

DEHOVA, summus arbiter poli & soli
Instituit ipse sacra lecti foedera:
Cum nempe sacris quondam in hortis ex viri
Somno sepulti latere costam sustulit,
Pulcramque fecit ex ea puellulam:

Eamque stabili lege junxit cum viro.
Hic ipse, Themidos o Sacerdos, CASPARE
En jam MARIAM propriam dicat tibi,
Stabilique jungit conjugem connubio:
Quam decorat, ore qui stat in niveo, rubor,
Tenerisque residens in labellis gratia
Nitore certant, sicut ebori pectora.
Sed hæc caduca cuncta: te sola pietas,
Pudorque solus atque candor pectoris,
Cultusque quo prosequitur Ipsa te suum
Sponsum, tuosque tum Deum ter maximum.

Idemque

Idemque sorti gratulor meritò tuæ,
Meisque fausta cuncta votis comprecor
Tibi, tuisque, Sponse, tædis, candide:
Optoque primum thalamus ut vester vacet
Discordiâ, rixis, malisque jurgiis:
Sed una potius sit duobus mens precor,
Vnaque voluntas, unus amor, unumque cor.
Tum te parentem prole pulcra, **CASPARE**
Faciât **MARIA**, deque vestro lectulo
Oleæ feracis instar exeat precor
Venusta proles, quæ patrem vultu suum
Pietate matrem referat, atque moribus.
Quod restat, annos vive, Sponse, Nestoris
Et tu, Sibyllæ, Sponsa, vatis secula
Vivendo vince læta semper, & tuum
Fove maritum, recreaque & dilige.

Andreas Crusius Servest.

EPIGRAMMA

Ad Sponsam sub persona Sponsi.

Maxima spes animi, Sponsa ô castissima, nostri
Dulcibus arride vocibus ore meis.
Aspice sinceri sincerum cordis amorem,
O decus, ô animæ spesque salusque mea.
Tu, rosa ceu suavis spinas nitet inter acutas,
Rura ornare velut lilia picta solent,
Turbam foemineam summis virtutibus ornas,
Omnes exuperans gratia, honore, fide:
Huc propera, huc mea vita veni, sine fraude, moraque,
Trititia haud carpi nos finit ille dies.
Auris egelidos iucundis ecce tepores
Huc referunt Zephyri, Nympha beata veni.

En

En campus ridet; rident en dulcibus arva
Frugibus; Agricolum jam quoque fervet opus.
Ad flavas curvam ponit jam messor aristas
Falcem: idcirco mihi cara **MARIA** veni.
Surge mei cordis spes, **SPONSA** tenerrima surge,
Eja, tibi nostros; dulcis amica, lares.
Igniculum monstrato mihi, faciemque decoram:
Laxisti mentem vulnere namque meam.
Rorant ambrosio tua blanda labella fluore,
Ceu stellae in coelis lumina clara micant.
Es mea lux, desiderium, mea summa voluptas,
Ipsa es deliciae, Sponsa venusta, mea:
Vita manes nostra; & nostri medicina doloris:
Distinxisti oculis pectora nostra tuis.
Non rumpent unquam foedus discrimina nostrum:
Tota mea es, ceu sum totus & ipse tuus.
Eja age tota mea es, mea sis, semperque maneto,
Tu mihi **SOLA** places, in mea vota veni.
Rumpe moras; **MARIA** veni, tu pectus aduris
Nostrum: sic votis annue quaeso meis.

*Christianus Frencelius Bern-
burgensis Anhalt. f.*

F I N I S.

Nov 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808




nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M





67.
70

IN NVPTIAS

IRTVTE ET DO-
TRINA ORNATISSI-

I IUVENIS DN. CASPA-
RIS HANNELII, I. V. STVDI-

osi, viri Servestæ Senatorij Dn.
Blasij, F. Sponsi:

ET

ONESTISSIMÆ PVDI-
SSIMÆQVE FEMINÆ,
MARIAE, GEORGII HORSTII,

civis Servestani quondam primarij reli-
ctæ viduæ Sponsæ:

*Carmina scripta à sanguine jun-
ctis & amicis.*



SERVESTÆ
Excudebat Iohannes Schleer,
Anno 1600,